DISPUTATIO JURIDICA
DE
CORPORE DE-
LICTI

QVAM


AUSPICE DEO!

PRAESIDE

Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo & Excellentissimo Viro

DN. HENRICO HAHNIO, ICto,
Antecessore hujus Juliæ celeberrimo, Facultatis suæ Seniore, Dicasterij VVolferbytani Adsessore gravissimo & p.t. Vice-Rectore Magnifico
Dn. Hospite, Præceptore & Promotore perpetim devenerando
publico doctorum examini submittet

AUTHOR
JOHAN Barckhusen
IN IVLEO MAIORI
Horis antemeridianis
ad d. xx. Sept.



HELMESTADI,
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.
CIↃ IↃC LXII.



VIRIS

Magnifico, Nobilißimo, Amplißimis, Consultißimis, Prudentißimis

DN. IOHANNI }
DN. HERMANNO } Barckhusen
DN. BARTHOLDO }

FRATRIBUS GERMANIS

Illi J.U.D. Illustrissimi Comitis ac Nobilioris Domini in Lippiâ Consiliario, ejusdemque Judicij Provincialis Vice-Præsidi, Patruo meo Parentis instar venerando. Isti Consuli apud Ufflenienses gravissimo, Parenti meo filiali amore & obsequio prosequendo. Huic Civi in eadem Civitate Ufflenia primario, Patruo meo multis nominibus colendo.

Hanc disputationem Iuridicam

D. D.

AUTHOR

IOHAN Barckhusen.

CUM DEO!

DISPUTATIONIS IURIDICÆ

De

CORPORE DELICTI

THESIS I.

EA est mortalium perversitas, ut liciti & illiciti communia principia, ipsis naturâ indita, *Rom. 2. vers. 15.* secus habeant, affectibusque suis malisve consultoribus aurem utramque inclinare & effreni appetitui morem gerere malint, quàm rectam rationem ducem sequi. Imo, cum natura inter homines quasi cognationem instituat, *Aristot. 1. Rhetor. 11. incis. 44. l. 3. ff. d. Iust. & Iur.* malitiâ tamen inductus & irâ sæpius commotus homo homini insidias struere nullus dubitat; Adeò, ut se invicem nonnunquam vitâ privent, hocque modo, uti communiter dicitur, homo homini lupus existat.

II.

Quibus sanè gravissimis hominum vitijs, quamprimum fieri potest adimenda est illecebra, & sapor dulcedinis subsequente aliquo dolore omninò est restringendus; ut ita metu pœnarum perversi isti homines boni evadant, *arg. l. 1. §. 1. ff. de just. & jur.* hocque ipso emendentur

dentur, *l. 20. ff. de pœn.* & alij exemplo illorum deterriti minus delinquant, *l. 6. §. 1. d. t.* Et certè, delicti gravitate exigente, supplicia ejus utique crescere debent, *arg. l. 16. §. fin. ff. d. pœn.* In tantum, ut delinquentes etiam planè è medio tollantur & capitis pœnam luant. Judici enim in criminibus enormibus jura nonnihil transgredi licet, *Franciscus Bruno tr. de indiciis & tortura part. 2. q. 5. n. 16. Brunorus à Sole consil. crimin. n. 8. Mynsing. 2. obs. 54.*

III.

Causæ verò sanguinem & vitam hominis concernentes cum maximè sint arduæ: Judex, qui earum cognitioni præest, maturiori consilio factum ejusque circumstantias accuratè expendere debet, ne sanguine innocentis manus polluat, ac homicidam quærendo ipse homicida fiat, *Iustus Oldecop in cautell. criminall. caut. 8. n. 1.* Proinde tutissima ipsi via esse videtur, si omnium primò corporis delicti notitiam sibi acquirat: Quantum enim hoc ipsum conferat, si judex, de homicidio vel alio crimine judicaturus, prius certior factus sit de delicto commisso, cuncta quotidiè experiuntur tribunalia. Operæ precium itaque nos facturos firmiter confidimus, si pauca quædam de hâc corporis delicti materia publicâ aliquâ disputatione, tanquam optimo veritatis cribro, discutienda proponamus.

IV.

Quod ipsum invocato prius numine divino feliciter nos effecturos speramus, *l. 2. pr. C. d. offic. præf. prætor. Afr.* si totam hanc tractationem intra certos terminos coërceamus: Ita, ut monstratâ sede hujus de corpore delicti materiæ, traditâ quoque ejusdem aliquâ descriptione & divisione, *Primò* certam aliquam

gulam

ponamus regulam, *quod* ſcilicet *de corpore delicti prius conſtare debeat antequam de eodem judicium inſtituatur: Deinde*, pro ratione diverſorum judicis actuum dicamus, quomodo de corpore delicti conſtare debeat ut locum habeat 1. Inquiſitio 2. Captura 3. tortura & 4. ut juſtè fiat condemnatio. *Tertio*, ſpecialem aliquam de delictis nonnullis tractationem breviter inſtituamus & hoc modo ante oculos ponamus quomodo in ijſdem de corpore delicti conſtare debeat: Hiſque tandem, inſignem effectum quem cognitio hæc de corpore delicti in ſingulis actibus præſtet ſubjiciamus.

V.

Locum & ſedem hujus materiæ quod attinet, de ea non conveniut DD. utplurimum tamen in *l.1.*§. *24. ff. d. SCto Sylan.* ejuſdem genuinam ſedem ſtatuunt, *vid. Dn. Carpzov. pract. crim. p.3. q.108. n.5. Dn. Brunneman, tr. de inquiſit. proceſſ. cap. 7. n.3. Clarum pr. crim.* §. *fin. q. 4. n. 1. Anton. Columbanum, de modo proced. extra ordin. n.44. Proſper. Farinac. de inquiſit. lib.1. tit. 1. q. 1. n. 6.* & alios ab ipſo allegatos. Lex autem illa, etſi ſic ſatis videatur eſſe clara, interim præferremus nos textum elegantem *l.1. C. ubi cauſ. fiſcall. agant.*, totius legis verba ſunt hæc. *Non defenſa mortis quæſtionem, apud procuratores noſtros non oportere tractari, nec bona à fiſco peti poſſe, priuſquam de crimine conſtiterit apud eum, cui convictus pœnam irrogare licet, quis ignorat? Planè defunctis homicidii reis, apud procuratores quoq; cauſam agendam eſſe ratio permittit.* Cui addatur ſpecialis & ſingularis locus in Nemeſi Carolina *artic. 54. item art. 6. & 55.*

VI.

Cum verò alicujus rei tractatio lectori perobſcura videatur qui nondum edoctus ſit quidnam ſcilicet ſit illud de quo agatur: Ideo neceſſum eſt prius ut declaremus quid per *corpus delicti* intellectum velimus. Quod dum agimus, à Communi juris criminalis interpretum ſententia non recedimus, ſed cum illis per *corpus delicti* nihil aliud denotari putamus, quàm delicti ſubſtantiam, exiſtentiam, vel delicti facti veritatem, *vid. Marc. Anton. Blancum de iudiciis n. 15. Clar. in pr. crim. §. fin. Carpzov. in pr. crim. p. 1. q. 16. Tranquillum Ambroſinum proceſſ. informat. lib. 1. cap. 1. n. 1. & 2. Brunneman de inquiſit. c. 7. n. 3.* Adeoque *arg. l. 41. ff. d. pœn.* rectè deſcribi poſſit, *Corpus delicti eſt exiſtentia turpis facti contra leges Reipublicæ.* Unde apparet, corpus nobis hîc eſſe ſubſtantiam ſive exiſtentiam; perinde atque dicimus conſtare ignorari corpus delicti, id inquiri, probari, inveſtigari, repræſentari. V. C. Si quis inſimuletur homicidij, debet conſtare de homine mortuo & cadavere, nec non de vulneribus; ſi furti, debet conſtare de rebus ablatis P. H. O. *art. 6. 54. 55. ibiq. Steph. Zieritz. Manz.*

VII.

Delictum, quod à delinquendo dictum volunt, quaſi derelictum, ſumitur vel latè vel anguſtè. *Latè* acceptum etiam crimen complectitur, *l. 1. & 2. ff. de LL. l. 1. l. 5. §. fin. ff. de pœn.* *Anguſtè* ſumtum, opponitur crimini *l. 2. §. 8. C. de vet. jur. enucl. l. 17. §. 18. ff. d. ædilit. edict.* Eſt verò delictum turpè factum contra leges Reipublicæ. Ubi per factum intelligitur actus quidam hominis externus, eine That h. e. actio hominis vel omiſſio ejus quæ ſe exſerit extrinſecus, verba ſunt Magnifici Dn. Præſidis

in observ. ad VVesenb. tit. d. privat. delict. n.3. ibi, *cæterum delictum &c.* Non tamen factum tantùm, sed turpè factum hîc requiritur, delinquere enim est spontè agere contra legem, *Aristot. 1. Rhet. c. 10. incis. 2. in fin. add. l. 41. ff. d. pœn.* Differentia Corporis delicti, & ipsius delicti, habetur in verbis *turpè factum*; Corpus enim delicti non tam est turpè factum quam turpis facti existentia: Cœtera verba *contra leges Reipublicæ* elegantissimè explicat Magnif. Dn. Præses *all. loc.* quorsum lectorem remittimus.

IIX.

Dividitur Delictum in Publicum & Privatum. Publicum est, quod lege aliqua publica nominatim vindicatur. Privatum, quod provenit ex injuria privato illata, nec legibus publicorum judiciorum vindicatur, Magnif. Dn. Præses *all. loc.* Ad delicta privata referimus etiam crimina extraordinaria, quæ scilicet extraordinem accusantur, pœnâ arbitrio judicis irrogandâ *l. fin. ff. d. priv. delict. l. ult. ff. de furt.* Hæc enim privata sunt *l. 3. ff. d. extraord. crimin.* non publica, quia non vindicantur lege publicorum judiciorum eorumque accusatio non cuivis è populo, sed ijs duntaxat competit ad quos ea res vel injuria pertinet, *d. l. 3. l. 2. ff. d. concussion. l. 2. d. abig. l. 3. ff. de prævar. d. l. fin. d. furt. l. 1. C. d. crimin. stellion. l. 4. ff. expil. hered. Add. Anton. Gomez. 3. resolut. 1. num. 9. Magnific. Dn. Præsid. sæpè all. loc. verb. Ordinaria, Dn. VVissenbach. ad pand. part. 2. disp. 29. th. 1. & 2.* Hæc de delictis nunc dixisse sufficiat, uberiorem enim de ijs tractationem vide apud allegatt. DD. Pergimus nunc ad corporis delicti divisionem.

IX.

Existere autem vel adesse dicitur Corpus delicti dupliciter

pliciter. *Primò*, si delictum aliquo facto commissum sit. *Secundò*, si animo solo fuerit perpetratum: Tot enim modis delictum committitur. Illud est facti vel permanentis, vel transeuntis. Delictum facti permanentis est, quod vestigia & signa post se relinquit, qualia sunt homicidium, parricidium, stuprum virgini illatum, furtum cum fractura, falsificatio monetæ, incendium & similia. Delictum transeuntis facti est, quod vestigia post se relinquit nulla, ut sunt adulterium & alij coitus qui sine fractura committuntur, furtum pariter sine fractura, percussiones quæ fiunt alapâ vel baculo sine livore, injuriæ verbales & id genus alia. Conjunge *Clarum § fin. pract. crim. quæst. 4. n. 3. Tranquill. Ambrosin. process. inform. lib. 1. c. 4. & 5. Carpz. pr. crim. p. 3. quæst. 108. item. p. 1 q. 16. n. 4. 5. Brunnem. de Inquis. cap. 7. n. 6.* Ad delicta quæ diximus etiam solo animo committi DD. referunt Hæresin, *vid. Clar. all. loc. Tranq. Ambrosin. cit. cap. item Ioan. Nicol. Arelatanum in tr. de hæreticis notab. 11 n. 2.* Tum quoque Magiam, quatenus magi pactum cum dæmone habent, nec tamen hominibus vel jumentis damnum aliquod intulerunt, *Zieritz. ad all. art. 6 54. & 55.* P. H. O.

X.

Hæc de corpore delicti existente ex delicto vero & certo. Existit autem illud nonnunquam ex eo quod est indifferens: Delicta enim aliquando se habent ad figuram non delictorum, possuntque venire aut facto hominis, & sic cum scelere, ut dicit *tex. l. 1. §. 24. ff. d. SCto Sylan.* aut etiam naturâ & sic sine scelere. Etenim non rarò ambigitur an per scelus aut dolum aliquid factum sit, nec ne. Exemplum est in homine qui suffocatus reperitur,

peritur, quod ex Bossio *tit. d. delict. n.10.* allegat Farinac. *d. inquisit. q.2. n.29.* Potest namque esse quod ab alio fuerit suffocatus, & quod ex se, vel corporis infirmitate & morte subitanea se suffocaverit. Clarus §. *fin. pr. crimin. q.4. n fin.* adducit exemplum de eo, qui repertus est mortuus in puteo, potest enim esse, quod quis se ipsum præcipitaverit & quod ab allijs præcipitatus fuerit, & quod casu ceciderit. Sic quoque de homine veneno interfecto aliquando dubitari solet, an sibi ipsi venenum propinaverit, an verò ab alijs propinatum ignorans exhauserit, vel an veneno ingenito mortuus sit, *vid. Dn. Brunnem. d. inquis. c.7. num. 12. & 15. Tranq. Ambrosin. d. process. inform. lib.1. c.1. n. 14.*

XI.

Hisce nunc præmissis, progredimur ad quæstionem inter Criminalistas, quos dicunt, sic satis agitatam. *An nimirum Judici de corpore delicti prius constare debeat, antequam de eo judicium instituat?* Quod ipsum omninò affirmamus *per text. l.1. §.24. l. 5. §.2. ff. d. SCto Sylan. & l.1. C. ubi caus. fiscal. agan. l.23. §. fin. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. fin. ff. d. quæst.* Prosp. Farin. *d. l. q.1. n.6.* Dn. Carpzov. *all. loc. p.3. q. 108.* Tranq. Ambr. *cit. tr. lib. 1. c.1. num.3. & 4.* Clar. *all. §. fin. q.4. n. 1. & seqq.* Ludov. Gilhaus. *arbor. judic. crimin. c.7. n.1. & 2.* Anton. Gomez. *tit. d. captur. reor. n.1.* ubi dicit hoc ipsum esse capitale fundamentum totius judicij, add. quoque Brunor. à Sole, *consil. crim. n.13.* Marc. Anton. Blanc. *de indic. n.15,* alios. Elegantes etiam in hanc rem habentur textus in constit. Carolina *art.54.55. item art. 6. in verb.* dazu sol auch ein jeder Richter ꝛc. *& art.8. in pr.* So die Missethat einer todesstraffe halber fündig. Imò, hanc opinionem commu-

nem & certam esse, nec aliquem ab ea dissentire tradit Farinac. *all. loc. q. 2. n. 3.* Jung. D. Christoph. Crusium. *de indic. del. p. 4. c. 2. per tot.*

XII.

Rationem hujus asserti Bossius *in tit. d. delict. n. 26.* hanc reddit: Quod scilicet regulare sit in qualibet materia, quâ de lex disponit aliquid respectu certæ rei, ut de eo prius constet. Perinde ut testamenti militaris privilegium non obtinet, nisi ubi constet militem testamentum fecisse, *l. 24. ff. d. testam. milit.* Præstationes item ex contractu nullæ sunt, nisi constet de substantia contractus. Tum quoque qui vult probare qualitatem, debet prius probare substantiam in qua illa qualitas fundatur, *gloss. in l. 28. ff. d. probat. arg. l. 66. §. 4. de fact.* Et hanc pariter rationem posuit quoque Anton. Gomez. *all. loc. n. 1.* ubi plura in proposito adducit concordantia jura, add. Brunor. à Sole *d. l. n. 13.* Carpzovius verò *p. 2. dec. 197.* rationem hanc ponit, quod non sit in potestate delinquentis sua confessione (quam fortè fecit judici) facere delictum ubi nullum est delictum.

XIII.

Verùm enim verò rectius facere videbimur, si hujus rei rationem nonnihil altius repetamus. Ponimus autem duplicem. *Primo Generalem*, quâ secundum principia prudentiæ judiciariæ, non potest dijudiciari controversia & sententia proferri, nisi constet de facto: Unde Aristot. *1. Rhetor. 1. incis. 11.* eleganter sanè dicit, *Controversantis nullum aliud munus est quàm ut ostendat, id quod agitur, aut esse, aut non esse; aut factum esse aut non esse. Sitne autem magnum aut parvum, justum an injustum, quatenus id legislator non definivit, ipsum videlicet judicem cognoscere ac judicare oportet.*

XIV. Quæ

XIV.

Quæstio enim de delicto prima & principalis est, an factum sit, altera, an jure. Hæc inde juris dicitur & juxta Rhetores, Status finitivi vel juredicialis est; Illa facti & Status conjecturalis. Solet namque reus aut (1) factum ipsum in litis contestatione simpliciter & absolutè inficiari, aut (2) jure se fecisse dicit, v. gr. occidisse ad defensionem, aut (3) opponit aliquid quo factum excusat, suamque innocentiam purgare intendit; Idque juxta cautelam *l. 9. C. de except.* & Aristot. *in Rhetor. ad Alex. Reg. c. 5.* cujus verba sunt hæc. *Defendendi species tribus praeceptis constat: Aut enim (1) defensori ostendendum est nihil eorum quorum accusatur patravisse: Aut, (2) si cogatur fateri, enitendum est ut gestum à se negocium, & legitimum & justum, & honestum & publicæ utilitati usui esse ostendat. Si autem hoc ostendere nequiverit* (3) *aut in imprudentiam aut infortunam gesta negocia conferens, aut jacturas ab his profectas quàm minimas ostendens, ut sibi ignoscatur operam dabit*, &c. *add. c. 8. in fin. & seqq.*

XV.

Hinc dicitur jus in causa positum, *l. 52. §. 2. ff. ad L. Aquil.* ibi: *respondi in causa jus esse positum* i. e. in facto ipso cum quo jus est implicitum, ut vult Gloss. *ad d. l. lit. y*, vel, in causa positum idem est quod jus in facto & facti cognitione ejusque circumstantijs positum, *Gothofr. ad eand. legem.* Multum namque refert in his quid actum sit, *arg. l. 28. ff. d. acquir. poss.* Ob ejus enim defectum jus applicari non potest, non, quod hoc, sed quod probatio, adeoque factum ipsum deficiat, *l. 30. ff. d. testam. tutel.* Legum namq; civilium explicatio & applicatio, pro variarum rerum usu & diversitate circumstantiarum (quæ

totum variant jus) facienda est: Jus enim applicari debet circumstantijs facti, *vid. Rittershusius expos. Novell. part. 6. cap. 10. n. 1.*

XVI.

Secundo Specialem adsertionis nostræ rationem dicimus pendere ex principijs justi & injusti, quod finis judici sit punitio delinquentis, & justa inter pœnam & delictum proportio, *vid. l. 31. ff. ad L. Cornel. de fals. l. 41. ff. d. pœn. add. l. 11. pr. eod. l 138. pr. ff. d. R. I. add. tex. c. 5. d. pœn. in 6. Dn. Struven in Syntagm. jurispr. exerc. 1. th. 36. ibiq; allegatos.* Si ergò judex puniet ubi non constat de corpore delicti, vel innocentem opprimet, vel nocentem dimittet; Idem dicendum, si incertus commissi delicti inquisiverit contra certam personam eamque capi aut torqueri jusserit. Hanc quoque rationem animadvertisse censetur post Damhouderium Matth. Stephani *ad art. 54. Const. Carol.*

XVII.

Et verò Magistratus & judices cujuscunque generis delicta investigare, & delinquentes undique conquirere eosque legitimis coërcere pœnis debent *l. 13. pr. ff. d. offic. præsid. l. 2. in fin. C. de commerc. & mercat.* quibus adstipulatur Sacra Scriptura. *Num. 35. Deut. 17. Rom. 13.* Flagitat hoc insuper utilitas Reipublicæ, cujus cura magistratui commissa est, *l. 3. ff. d. offic. praf. vigil.* Nisi enim delicta punirentur & delinquendi audacia coërceretur, paulatim Respublica, malis hominibus repleta pessundaretur & funditus deleretur, id quod Cajus non obscurè indicat in *l. 70. §. fin. ff. d. fidejuss. Pœnas* enim ait *ob maleficia solvi magna ratio suadet.* Hinc Cicero *de natur. Deor.* rectè dicit; Nulla domus nec Respubl. stare potest, si in ea

nec

nec rectè factis præmia existent, nec supplicia peccatis: add. *Senec. de Clement. lib. 1. c. 22. & lib. 1. de Ira. c. 16. l. 1. §. 1. ff. d. just. & jur.*

XIIX.

Hiscè sufficienter demonstratum esse putamus judici de commisso delicto prius constare debere. Proximum est, ut ostendamus qualiter & quomodo ipsi constare debeat. Hîc verò interpp. non conveniunt, satis quoque intricatè de hac re loquuntur nimiumque se involvunt, uti rectè dicit Clarus *sæp. all. loc. q. 4. n. 1.* Ut plurimum enim indagationem corporis delicti ad inquirendū, cum certitudine ejusdem quoad condemnandum confundunt, *Carpzov. supr. d. l. p. 3. q. 108. n. 7.* Quæ tamen ab invicem benè & accuratè sunt distinguenda.

XIX.

Primò autem dicimus de delicto constare in genere quando id manifestum fit, investigatum apparet, da die That erkündiget. Fit autem hoc dupliciter, ad sensum & ad intellectum. Ad sensum, quando sensus fidem delicti facit; ut, cum apparet de facto ex inspectione v. c. vulnerati aut cadaveris occisi, vel ubi per testes, qui de visu testantur: vid. Thom. Metzger. *de captur. reor. th. 15.* Ad intellectum constat de existentia delicti per ratiocinationem & argumenta, scilicet, ut JCti loquuntur, per indicia, conjecturas, probabiliter, præsumtivè.

XX.

Deinde aliter de delicto ejusve qualitate constare debet ad inquirendum: aliter ad capturam decernendam: aliter ad torturam: & denique aliter ad condemnandum, *vid. l. 1. §. 24. l. 5. §. 2. ff. d. SCto Sylan. l. 1. C. ubi caus. fiscal. ag. l. 23. §. fin. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. fin. ff.*

 d. quæstion.

d. quæstion. add. Brunnem. cit. tr. c. 7. n. 5. Carpzov. p. 2. decis. 197. id. pr. crim. p. 3. q. 108. num. 7. Clar. d. q. 4. n. 2. item q. 64. n. 3. & q. 66. cir. pr.

XXI.

Inquiſitorium proceſſum ſive inquiſitionem quod attinet, ſunt qui jure illam inſtitui pernegant. Alij jure Canonico illam conceſſam eſſe quidem dicunt, de jure verò civili tantum abeſt concedant hoc, ut etiam contra hoc tanquam pro aris & focis diſputent. Nonnulli certis tantum in caſibus illam admittunt, *vid. gloſſ. & Dd. in l. 6. §. 2. ff. d. muner. & honor.* Sed, Proceſſum inquiſitorium omni jure licitum non modo, verùm mandatum etiam & magiſtratui eundem injunctum eſſe firmiter ſtatuimus, cum Dn. Brunnem. *all. tr. c. 1. num. 3. Valent. Voltzio de inquiſ. n. 55. 72. & 98.* cui addi poteſt Salicet. *ad l. ea quidem 7. C. d. accuſat. & Carpz. pr. crim p. 3. q. 103.* Quod enim jus divinum concernit, probatur hoc ex Deut. *c. 13. verſ. 12. & ſeq. item c. 17. verſ. 4.* Prout etiam ſingularis proceſſus inquiſitorius deſcribitur in lib. Joſuæ *c. 7.* De Jure Canonico illud manifeſtum eſt *ex c. qualiter & quando 24. X. d accuſat. & paſſim tot. eod. tit. add. c. 1. X. d. offic. jud. ordin.*

XXII.

Maximus diſſenſus eſt hâc in parte de jure civili. Sed de hoc non minus affirmativam ut ſtatuamus, faciunt clari textus in *Nov. 128. c. 21. l. 13. ff. d. offic. præſid. l. 1. C. d. cuſtod. reor. l. 4. §. 1. ff. ad L. Jul. pecul.* & *l. 7. C. d. accuſat.* in quâ expreſsè dicitur Magiſtratibus licere apparitores & officiales habere, qui maleficia inquirant & denuncient, ac ſubinde in eos animadvertant quos deliquiſſe compererint, qui denunciatores appellantur in

l. 6. §. 3.

l.6.§.3.ff.ad SCtum Turpil. item Irenarchæ *l.6.ff.d.custod. reor.* vid. Wesemb. *ad tit.d.accusat. n. 2.* Magnific. Dn. Præsidem *in observ.ibid.* Anton. Matthæi *in tr.d.crimin. ad lib.48. Dig.tit.20.cap.1.n3.* Bocerum *class.6.D.38.n.42.* Zanger. *de quæst.& tort. reor. in proœm. num. 21. & seqq.* Denique de jure nostro Germanico nullum est dubium, propter *art 8.214.219.& passim in Const. Carolin.* De consuetudine quoque res est certissima, vid. Dn. Brunnem. *all. loc. c.1. n.9. & seqq.* ubi plurimas ampliationes subjungit.

XXIII.

Inquisitio (quæ publicæ sollicitudinis cura dicitur in *l.1.pr.C.d.custod. reor.*) *secundum Farin. d. inquis.q.1. n.3.* est delicti informatio judicis officio & authoritate facta. Sive, Inquisitio est legitima judicis ex officio procedentis super delicto informatio, Dn. Brunnem. *all.tr. c.1.n.2.* Inquirere enim nihil aliud est, quàm informationes super delicto sumere: Cum enim judicis officium sit, nullo existente actore ratione officij in delinquentes reos animadvertere, *d.l.13.pr.ff.d.off.præs.l.1.C.de custod. reor.* Hoc verò, uti ex superioribus notum, judex facere non possit, nisi ipsi constet de corpore delicti ejusque notitiam habeat. Ideò, ut eandem acquirat, informationes super delicto commisso sumere debet, & hoc uno verbo idem est quod inquirere, *vid. Clar. pr. crim. §.fin. q.3.n.2. add. Carpzov. p.3. q.107.n.5.*

XXIV.

Divisio Inquisitionis apud Dd. non est una & eadem, vid. Carpzov. *all.loc. num.6.* Nos missis Dd. altercationibus hîc sequimur in schola & foro receptam divisionem, & dicimus, Inquisitionem esse duplicem, Generalem & Specialem, Emeric. à Roßbach *in processs.crim. tit.1.*

tit. 1. c. 12. n. 9. Farin all, loc. n. 4. & 9. Carpzov. d. l. n. 9. Valentin. Volz. d. inquis. n. 49. Generalissima enim, uti illam Dd. vocant, nomen inquisitionis per se & absolutè non meretur; quia pars est inquisitionis generalis, *vid. Dn. Brunnem. d. tr. c. 2. n. fin.*

XXV.

Generalis Inquisitio est, quam instituit judex ad cognoscendum an delictum revera commissum sit, & quisnam illud commiserit, desuper generales informationes assumendo, *vid. Farin. de inquisit. q. 1. & post illum Carpz. sæp. all. tr. p. 3. q. 107.* vel, Generalis inquisitio est, quæ instituitur ad id, ut sciatur an delictum verè sit commissum & à quo, *Dn. Brunnem. sæpè laudato tr. c. 2. n. 2.* Instituitur enim hæc inquisitio super ipsum factum, personas, famam aliasque circumstantias & qualitates in genere; adeoque præparatoria est ad inveniendum delictum & delicti authorem de quo Curia certam nondum habet notitiam, Anton. Matthæi *all. tr. d. crimin. ad lib. 48. Dig. tit. 20. cap. 2. num. 6.*

XXVI.

Specialis inquisitio fit per judicem contra particularem personam de cujus delicto curia notitiam jam accepit, vel quà in delicti modum & authorem, personam certam inquisitione generali suspicionibus gravatam in specie judex inquirit, Clar. *lib. 5. sent. §. fin. q. 5. num. 5. Carpzov. all. loc.* Brevius eandem describit Dn. Brunnem. *d. l.* Inquisitio specialis est, quæ instituitur adversus certam personam, ob delictum, de quo, quod commissum sit ex generali inquisitione apparet. Etenim, si ex inquisitione generali judex tum de delicto, tum etiam de authore ejusdem aliquam consequutus est notitiam,

solet

ſolet adverſus illam perſonam ſingulariter & in ſpecie inquirere,, ne maleficium ei ſit impunitum. Et hæc eſt illa, quam nunc ſpecialem vocavimus, appellatur etiam ſolennis & ordinaria ad maleficium puniendum comparata, Dn. Carpzov. *all. loc. n. 13.*

XXVII.

Quemadmodum autem res aliqua in judicium deducta, aliquando liquidè & plenè probari debet, aliquando autem ſufficit ſi eadem per indicia & conjecturas demonſtratur, Maſcard. *de probat. lib. 2. concl. 830. num. 5.* Eodem modo de Corpore delicti nonnunquam certò & plenariè judici conſtare debet, nonnunquam ejuſdem minus plena probatio ſufficit, per indicia ſcilicet probabilia: ſunt enim indicia alia certa & indubitata, alia veriſimilia & probabilia, *l. 19. C. d. rei vind. l. fin. C de probat. l. 8. §. 1. C. d. quæſtion. add. th. præc. 19.* Quò itaque majoris præjudicij eſt actus aliquis ipſius judicis, eò etiam majora & graviora indicia requirit.

XXIIX.

Generalis ergo inquiſitio, cum, uti dictum, tantum inſtituatur ut certò ſciamus an delictum verè ſit commiſſum & à quo; adeoque in genere ſaltim de delicto ejuſque authore agatur neminem nominando, ad nullius injuriam ſpectare videtur, Clar. *pr. crim. §. fin. q. 6. n. 4.* Ideò ad hanc inſtituendam *probabilis & ſummaria cognitio* de corpore delicti ejuſque circumſtantijs ſufficiet. Hinc, ſi per modicam famam & rumorem ad judicis alicujus aures perveniat, aut etiam eidem à quoquam denuncietur, v. gr. hominem quempiam interemtum & occiſum in hoc vel illo loco jacere, omninò via ipſi aperta eſt ad hanc generalem inquiſitionem inſtituen-

dam, vid. Clar. *all. loc. q. 4. n. 2. Farin. de inquisit. q. 1. n. 47. & seq. Anthon. Matthaei tr. de criminibus ad lib. 48. Dig. tit. 20. cap. 2. n. 6. Carpzov. d. l. p. 3. q. 108. n. 2. & 10. Brunnem. d. tr. c. 4. n. 4. & 15. add. Constit. Crimin. art. 6.* ibi: durch gemeinen Leumuht berüchtiget &c. Quinimò, si hòc modo de Corpore delicti constat, tenetur judex procedere & inquirere in famæ veritatem & certitudinem ipsius delicti, aliàs enim colludere cum delinquentibus illorumque facta approbare videbitur, *l. 13. pr. ff. d. offic. praesid. l. 2, in fin. C. de commerc. & mercat.*

XXIX.

Pleniorem verò Corporis delicti cognitionem requirit Inquisitio specialis: Hæc enim nonnihil inquisiti existimationem minuere videtur, secundum Menochium *de praesumtion. lib. 1. praes. 88. n. 9. & 10.* Cothman. *vol. 3. resp. 30. n. 155. Carpzov. all. loc. n. 62.* Adeoque non ita facilè & incautè ad eam judex accedere debet, ne destituta legitimis indicijs invalida declaretur, *Farin. all. loc. q. 1. n. 40.*

XXX.

Nos, secundum propositam *in th. 9.* divisionem, dicimus. Si delictum commissum *facti* est *permanentis*, tunc de eodem liquidè constare debet, ad hoc, ut inquisitio specialis locum habeat. Liquidè verò constare dicitur, si de eo constet ad sensum, vel per testes vel per evidentiam facti, *Farin. all. loc. q. 2. n. 6.* v. gr. Si cadaver occisi, locus incendij, vulnera & fractura oculis subjiciantur, vid. Tranq. Ambrosin. *in process. in form. lib. 1. c. 1. n. 4. & 7.* Clar. *pr. crim. §. f. q. 4. n. 4.* Brunnem. *cit. tr. c. 7. n. 6. & 7.* Carpzov. *d. p. 3. q. 108. n. 1.*

XXXI. Ne-

XXXI.

Neque tamen hoc ita simpliciter dictum volumus, quasi scilicet in delictis facti permanentis nunquam Inquisitioni speciali locus sit, nisi ipsum delicti corpus seu actus essendi (quo delictum est) oculis subjiciatur. Eo enim modo perquam multa delicta manerent impunita, cum sic sontes facilè pœnam effugere possent, videlicet Corpus occisum in aquam projiciendo vel illud ipsum sepeliendo aut alio modo occultando, uti etiam sæpissimè contingit, Carpzov *pr. crim. p. 3. q. 108. n. 12.*

XXXII.

Hoc itaque & simlibus casibus satis est, si per conjecturas & verisimilia indicia de Corpore delicti constet. V.gr. Si qua mulier de fornicatione suspecta, & ante hac cum intumescente ventre visa, nocturno tempore aliquid in profluentem aquam projecisse deprehensa sit: Ibi sufficit per conjecturas constare de Corpore delicti ad hoc ut dicta inquisitio procedere possit, *vid. Carpzov. all. loc. Brunn. d. tr. c. 7. num. 9.*

XXXIII.

Si autem delictum *facti* est *transeuntis*, utpote in quo existentia facti vel delicti corpus certò investigari nequit, tunc simili modo sufficit, si de eodem per conjecturas constet, *arg. art. 60. constit. Carol.* Ratio generaliter est, quod in delictis ejusmodi & occultis quæque difficilis sunt probationis, præsumtiva & conjecturata probatio habeatur pro plena & concludenti, ut post Bald. *in l. quicunq. 4. C. d. serv. fugitiv.* statuit Farinac, *all. loc. q. 2. num. 12. & 13.* ubi etiam hanc opinionem generalem & communem esse dicit. Quod secundum Clarum *pr. crim. §. f. q. 4. n. 3.* obtinet etiam in delictis quæ solo

animo perficiuntur, *add. Mascard. de probat. concl. 380. n. 4. & seqq. Ludov. Gilhaus. arbor. judic. crim. c. 6.* Cæterum ut diximus, constare debere de delicti actualitate ante inquisitionem, ita necesse quoque est ut constet ante accusationem, cum hæ æquipollere videantur, *Aegidius Bossius pract. crim. tit. d. delict. n. 1. 2. 3. 4. 5. & fin. idem. tit. de tortur. accusator. n. 5.*

XXXIV.

Non possum verò non hic subjicere commodum exemplum cujus meminit Hippolytus de Marsilijs, præstans JCtus, *in pract. crim. §. principium num 6. & seqq.* quod magnam partem declaret ea quæ de existentia turpis facti per conjecturas diximus, idque verbis dicti Doctoris licet minus elegantibus.

XXXV.

Quidam scholaris, *ait*, forensis reversus à patria sua portavit certam quantitatem pecuniarum, ut communiter faciunt scholares forenses, & dictas pecunias posuit in quadam ejus capsa in camera sua, existente in domo cujusdam Viri, cum quo incepit stare ad doctrinam, & una die dum iste scholaris esset extra domum, vel ad scholas, vel alibi, cum quadam clave adulterina fuit aperta ejus camera, & similiter ejus capsa, & fuerunt furatæ & asportatæ prædictæ ejus pecuniæ. Postea verò fuit clausa capsa, & camera, adeo quod non poterat apparere de violentia, nec de aliqua fractura, nec de aliquo furto. Ipse autem scholaris una die volens accipere aliquas pecunias, reperit illas fuisse furto subtractas, & statim de hoc conquestus est cum socijs suis, & cum amicis, & cum alijs personis. Qui scholaris accessit ad Potestatem, & fecit ejus querelam,

lam, & ab ea petiit, ut deberet procedere de tali furto contra dominum domus, in qua morabatur, quem habebat suspectum, & contra quem erant nonnulla indicia. Qui potestas vocari fecit dictum dominum domus, & eum incepit interrogare super dicto furto, sed dominus domus primo, & ante omnia dixit, quod aliquod furtum non fuerat factum dicto scholari, nec modo aliquo constabat de tali furto, ideo ipse, nec alius debebat vexari, molestari, nec inquietari pro dicto asserto furto. Iste autem scholaris non poterat probare tale furtum fuisse commissum. Quærebatur quomodo hoc casu possit succurri dicto scholari? In quo ego consultus, dixi, quod licet non posset plenè, nec directè probari dictum furtum fuisse commissum, tamen poterat quoad inquirendum satis hoc probari ex conjecturis & præsumtionibus. Nam furtum probatur ex conjecturis &c. Sed in dicto casu concurrunt plures conjecturæ, quod dictum furtum fuerit factum dicto scholari, ut statim ostendam: ergo dictum furtum dicitur esse probatum. Quod autem adsint conjecturæ dicti furti patet. Nam statim quod ipse scholaris vidit suas pecunias non adesse, sed exportatas fuisse, de hoc *conquestus* est cum socijs & amicis suis, & hæc affirmabant dicti socij & ejus amici: ergo hæc est una conjectura dicti furti commissi, per quam probatur ipsum furtum. Alia etiam concurrit conjectura dicti furti, videlicet, *bonitas* & *legalitas* & honesta vita in tempus præteritum dicti scholaris, & ego sequens consilium Alexand. quod ipse dat in consil. suo 53. incip. viso themate in 2. volum. fieri feci capitulum super bonitate, & legalitate dicti scholaris & super illo feci examinare testes: qui deposuerunt dictum schola-

rem fuisse, & esse hominem probum, & morigeratum, bonæ conditionis, vitæ & famæ, ac conscientiæ, & non solitũ mentiri in aliquo. Ex quibus testibus resultat præsumtio & conjectura præstans justã & juridicam causam judici credendi dicto scholari dictas pecunias fuisse sibi furto sublatas. Nam clarum est in jure quod credendum est bono viro &c. Et ex prædictis in casu dicti scholaris dixi, quod ex dictis præsumtionibus & conjecturis erat probatum furtum fuisse commissum. Et tanto magis per dictas conjecturas potest dici probatum esse dictum furtum, quia in tali probatione *non tractatur de præjudicio alicujus:* quia an sit probatum furtum nec ne in genere & non specialiter per aliquem, hoc non facit alicui præjudicium; ut de se patet. Concurrebat etiam alia ratio in casu dicti Scholaris, quod probatum esset dictum furtum fuisse commissum & perpetratum. Nam furta communiter *clam & occultè* committuntur, ut omnibus notum est. Sed ubi tractatur de probando clandestina, & occulta & illa quæ sunt difficilis probationis, ut est furtum: admittitur probatio per conjecturas, &c. Et sic ex istis omnibus in casu dicti scholaris Potestas habuit dictum furtum pro probato, & processit ad ulteriora ad favorem dicti scholaris, adeò quod ipse recuperavit magnam partem pecuniarum suarum à prædicto domino domus, & hoc per intermissam personam cujusdam religiosi, qui sibi portavit tales pecunias, & rogavit dictum scholarem, ut non vellet ulterius quærere & ita quievit dictus scholaris. Hæc Marsilyus.

XXXVI.

Cæterum, Inquisitio specialis, cum commodè institui non possit nisi reo præsente, ideò opus omninò est citati-

citatione, absens enim damnari nequit *l.5.pr.ff.d.pœn. l.6.C.d.accusat.* Citatio autem duplex est Realis & Verbalis, Wesenb. *ad tit. de in jus voc. num.13.* adeoque benè ponderandum utra adhibenda sit: Aliquando enim verbalis citatio sufficit, nonnunquam tamen, ne quis aufugiendo præsentiam suam subtrahat, ac inquisitorium processum elusorium reddat, citatio realis requiritur.

XXXVII.

Cautè tamen ac prudenter judex agere debet, ne contra accusatum vel inquisitum ad citationem realem eoque ipso ad incarcerationem nimiùm festinet: Mala enim mansio carcer est, *arg.l.2.C.d. custod. reor. l.23.C.d.pœn.* Dn. Caspar. Manzius *ad const. Carolin. art.11.n.9.* Neque etiam simpliciter in omnibus delictis & singulis quoque personis est admittenda, uti verè sentit Clarus sæpe *all.* §.*fin.q.28.n.1.* Hinc sine aliquali informatione judex ad eam devenire non potest; Quod ipsum in accusatione facilè liquet, nam, si judex porrectâ accusatione statim absque alia informatione reum capi faceret, eô ipso in potestate cujuscunque vilis personæ constitueret carcerari facere quemlibet probum & insignem virum, uti eleganter legere est in Constit. Carol. art. 11. item art. 218. ibi, Item / das durch die Obrigkeit etwa leichtlich / auch ehrbahre Personen / ohne bevorgehend berüchtigten bösen Leumuht / und andere genugsame anzeigung angegriffen / und in Gefängnüß bracht werden / und in solchem angriff etwa durch die Oberkeit geschwind und unbedächtlich gehandelt / dadurch der angegriffene an seinen Ehren nachtheil erleidet. idem sentit Thom. Metzgerus *d. capt. reor concl.17.*

XXXIIX. Ap-

XXXIIX.

Apparet itaque ex verbis all. art. Imperatorem vel-le ut ejuſmodi abuſus, corruptelas & conſuetudines qui-libet magiſtratus judicijs eliminet, abroget, ac æternâ oblivione ſepeliat, ut dicit Matth, Stephani *ad d. art.* Sufficientia ergo indicia carcerationem præcedant ne-ceſſe eſt, cumque liquidè de actuali eſſentia delicti con-ſtare non poteſt, ſatis eſt talia ſi adſint indicia quæ veri-tatis colorem habeant, etſi ſint leviora quam ut ex ijſdem ad torturam deveniri queat, Menoch. *de præſumt. lib. 1. præſ. 88. n. 8.* Præſertim, ſi periculum ſit in mora; ibi e-nim à juris communis regulis receditur, *l. 5. §. 11. cum ſeqq. ff. d. nov. oper. nunt.* Gailius *1. obſ. 102. n. 6. & ſeqq.*

XXXIX.

Quin nihil vetat dicere, indicia de corpore delicti ad ſpecialiter inquirendum legitima ad capturam quo-que eſſe ſufficientia, *vid. ſupr. th. 30. & ſeqq.* add. Thom. Mezger. *de captur. reor. th. 13. & ſeqq.* cum hæc illius præambulum exiſtat, Carpzov. *all. loc. q. 111. n. 25.* In-terim, cum in incarceratione rei judicis arbitrio non parum ſit relictum, diſtinguere ille omninò debet in-ter perſonas delinquentes & ipſa delicta, per text. ele-gantem *l. 1. ff. d. cuſtod. reor.* cui concordat art. 18. Con-ſtit. Carolinæ, ibi, dieſelben Sachen und Warzeichen &c.

XL.

Quocunque autem modo inquiſitio formetur, in atrocioribus, capitalibus & pœnam corporis afflictivam inferentibus criminibus eruendis quæſtio ſive tortura adhiberi ſolet, *l. 8. pr. & ibi Dd ff. d. quæſt. Franc. Bruno tr. de indic. & tort. par. 2. q. 3. Anton Gomez. tom 3. reſol. cap. 13. n. 2. Farin. lib. 1. prax. crim. tit. 5. quæſt. 42. n. 3. 6 9. & ſeqq.*

& seqq. Clar. d. §. fin. q. 64. n. 4. Magnif. Dn. Præses *in observ. ad VVesenb. tit. de quæst. n. 2. & 5.* Diximus *quæstio sive tortura*, hisce enim vocabulis promiscuè utimur, prout etiam communi loquendi usu confunduntur; cum quæstio germanis significet die peinliche Frag / oder scharffe Frage. Interim non diffitemur, propriè loquendo hæc differre, quod tortura pars quædam quæstionis esse videatur ipseque actus torquendi, quæstio autem sit interrogatio rei, Henr. Bocer. *de quæst. & tortur. cap. 1. n. 12.*

XLI.

An verò tortura ex jure gentium sit uti statuit Wesenb. *ad tit. de quæst. n. 3.* non quidem affirmamus, *vid. Bachov. in not. ad VVesenb. d. l.* Interim justum & Reipub. utile medium esse veritatem quærendi à sceleratis, ubi alia media non sufficiunt, omninò statuimus, cum Magnif. Dn. Præs. *in obs. all. tit. n. 2. add. Gomez. tom. 3. resol. c. 13. n. 1.*

XLII.

Verùm cum subsidiarium tantum sit remedium tortura, patet, quod ab illa non sit incipiendum, *l. 1. pr. ff. d. quæst.* sed tum demum ad illam confugiendum quando veritas aliter haberi non potest, *l. 10. d. t. l. 12. C. eod. Clar. all. loc. n 5. & 9.* Hinc Gandinus *in tr. maleficior. tit. d. quæstion. & tort in pr.* dicit, Judicem qui de aliquo quæstionem habere intendit, maximè hoc considerare debere, ut non facilè nec repentè ad eam procedat, si aliqua alia leviori via objecti criminis veritas haberi possit, add. Ambertum de Antramonia *de quæst. & tortur. n. 1.* Fragilis enim res est tortura & periculosa, & quæ veritatem fallat *l. 1. §. 23. ff. d. quæst.* neque

 etiam

etiam semper & in omni persona & causa est admittenda *l.1.§.3. & seqq. l.8. ff. d.t. add. art.8. Const.Carol.* ibi: die Leib oder Lebensstraffe auff sich haben / Vid. Magnif. Dn. Præs. *all. loc. n. 5.*

XLIII.

Liquet inde, gravem & maximè præjudicialem esse torturæ actum, res etenim dira est, corporibusque hominum admodum noxia & quandoque lethalis & morte ipsâ durior, ut dicit Wesenb. *tit. de quæst. n.5.* Adeoque *arg. c.3.pr. de elect. & electi potest. in 6.* cautius agendum. Hinc illud, quod in antecedentibus desideravimus hic multo magis requirimus, nimirum, quod delictum ipsum prius existere debeat, antequam ad torturam perveniatur: Illud namque non æquitas solum, sed & ipsum jus scriptum expresse postulat, *vid. l.1.§.24. ff. ad SCtum Sylan.* Communis quoque suffragatur Dd. sententia, vid. Clar. *all. §.f. q.64. n.3. Farin. de inquis. q.2. n.3. Franc. Brun. de indic. par. 2. q.5. n.8. Boss. tit. d. delict. n. 14. Tranq. Ambros. all. tr. lib. 4. c.1. n.17. & seqq.* Magnif. Dn. Præs. *in obs. ad VVesenb. d.t. n.2. Carpz. par. 2. decis. 197. n.9.* alios.

XLIV.

Non tamen hic cum Claro, Farin. alijsque per omnia facimus; qui putant ad torturam nunquam esse deveniendum, nisi prius delicti corpus hominum oculis judicisque aspectui subjiciatur. Hoc enim, etsi eatenus, quatenus judex criminis veritatem per evidentiam facti facilimè assequi potest concedi possit, simpliciter tamen & absolutè non est verum.

XLV.

Etenim Carolino jure nostro non alia requiritur cognitio

gnitio commissi delicti, quàm quæ pro ratione ipsius delicti aliarumq; circumstantiarum, temporis scilicet, loci, causæ, qualitatis, quantitatis &c. *arg. l. 16. ff. de pœn.* haberi potest, vid. expressum textum P. H. O. *art. 6.* ibi: Dazu sol auch ein jeder Richter/ in diesen grossen Sachen/ vor der peinlichen Frage/ so viel möglich und nach gestalt und gelegenheit einer jeden Sache geschehen kan/ sich erkündigen.

XLVI.

Dicimus itaq;, si delictum facti est permanentis, tum de ejus existentia liquidè & evidenter constare debet, scilicet quatenus eam habere possibile est, *jung. th. præc. 30.* Magnif. Dn. Præs. *all. loc. n. 5.* Si verò transeuntis est facti, vel occultum, quodque difficilis est probationis, *add. th. præc. 33.* tum sufficit si de eodem constet per probabiles conjecturas.

XLVII.

Cum enim Reus ex solis indicijs & præsumtionibus nonnunquam in pœnam extraordinariam carceris, aut pecuniariam, aut etiam fustigationis & relegationis condemnari possit, etsi crimen non sit confessus; uti ipsi supr. all. Dd. concedunt, cur tortura locum non habeat, si per probabiles conjecturas de commisso delicto constet, cum etiam illa locum habeat in casibus quibus infertur pœna corporis afflictiva, *vid. th. 38.*

XLIIX.

Imò, quo minus dubitemus, facit clarus & expressus textus in Nemesi Carol. *art. 8.* ibi: So die missethat einer todes straff halber kündig/ oder aber deswegen redliche anzeichung/ wie davon zuvor gemeld/ erfunden würden/ so sol der peinlichen Frage und aller erkündigung halber/ so zu erfindung der Warheit dienstlich ist 2c. gehalten

 werden.

werden. Non diffitemur tamen, priorem sententiam de jure veteri subsistere posse

XLIX.

Sequitur tandem, ut etiam videamus quomodo constare debeat de Corpore delicti ad Condemnandum. Ubi tanto major versatur difficultas quanto actus condemnandi præ reliquis, de quibus supra actum, existit periculosior. Unde tunc quam diligentissimè cuncta sunt æstimanda, *arg. l.29. C. d. appell.* Neque justam & legitimam sententiam judicis facit alicujus confessio; Sed delictum præterea existere & judici de eodem constare debet, P. H. O. *art. 54. & 55.* Clar. *d. §. fin. q. 66. num. 8.* Farin. *q. 2. n. 7. & seqq.* Matth. Stephan. *ad art. 149. pr. Const. Carol.* Etenim, si sola confessio legitimis destituta indicijs ne quidem locum facit torturæ, multo minus hæc efficiet ut sententia judicis sit legitima, cum indubiè hæc majoris sit momenti.

L.

Sed, non parum controvertitur inter Dd. An delinquenti confesso & convicto mortis pœna sit irroganda antequam de corpore delicti & veritate criminis commissi liquidè & certò per testes & evidentiam facti constet; an verò ultimo supplicio etiam quis affigi possit modo per indicia & argumenta de eodem appareat.

LI.

Nos omninò putamus propter capitale delictum facti transeuntis, quodve occultum, aut difficilis est probationis non minus quem condemnari posse ad mortem si indicijs & argumentis de ejusdem veritate constet, quàm si hoc cognitum sit per testes vel evidentiam

tiam facti, Farin. *lib. 1. tit. 1. q. 2. n. 12. & seqq. adde additiones ad Clar. q. 4. §. fin. n. 1. lit. a.* Interim non quævis indicia sufficiunt ad condemnandum reum; sed talia requiruntur quæ certa sint & indubitata, *vid. th. præc. 27. add. l. fin. C. d. probat.* Anthon. Matthæi *de crimin. ad lib. 48. Dig. tit. 15. c. 6. per tot.* Quod ipsum clarius patebit si in specie de quibusdam delictis agamus & demonstremus quomodo in ijsdem de veritate ipsius commissi criminis constare debeat, ad hoc uti justa subsequatur judicis sententia. Idque nunc ratio ordinis postulat.

LII.

Primum itaque videamus atrox & proh dolor frequentissimum illud homicidij crimen, Gómez *var. resol. tom. 3. c. 3. pr.* In genere autem Homicidium est crimen ex hominis internecione. Neque enim hîc discrimen facimus qualis homo sit cæsus, liber an servus, Exod. *21. v. 20. l. 1. §. 2. l. 11. §. 1. & 2. ff. ad L. Corn. de Sicar. l. 23. §. 9. ff. ad L. Aquil.* Liberis enim & servis natura humana communis est *l. 12. §. fin. ff. d. accusat.* Nec ullus est tam vilis hominis sanguis, ut non inquinet manus. Quod enim de monstroso partu dicunt Dd. in illo non committi homicidium, concedimus eo modo si planè nihil humanæ formæ remanserit, *l. 14. ff. d. stat. hom. l. 38 ff. d. V. S. & ibi Gœdd. l. 135. eod. tit.* vid. Alph. à Caranza *de part. legit. c. 17.*

LIII.

Homicidium sumitur vel *latè* vel *strictè*. *Latè* acceptum, dividi potest in Dolosum, Culposum, Casuale & Necessarium; hiscè enim omnibus definitio homicidij competit. *Strictè*, sumtum, denotat tantum homicidium dolosum. Magnif. Dn. Præs. *in obs. ad VVesenb.*

tit. ad L. Corn. de Sicar. n. 5. circa fin. & hoc præcipuè hujus est loci.

LIV.

Ergò, si aliquis homicidij pœna sit afficiendus, tunc prius de delicto commisso constare debet, Farin. *q. 2. n. 6.* Et non solùm de delicto verum de ejusdem quoque circumstantijs, *idem Far. d. l. n. 4.* Ratio non obscura hæc reddi potest, quod hoc modo si judex distinctè de singulis circumstantijs sit informatus, facilè possit judicare an testes super delicto examinati vera dixerint nec ne; Cum non rarò contingat testes plura deponere quàm in Corporis inspectione apparet.

LV.

Neque tamen sufficit hominem esse occisum, nisi etiam appareat illum scelere i. e. dolo interemtum, *arg. l. 1. §. 24. ff. ad SCtum Sylan.* Cujus gratia Bossius *tit. d. delict. n. 3. & 4.* casum adducit qui in arce Mediolani anno 1622. contigit, in qua in vigilia S. Petri fulgur ultra 200. viros interfecit. Illo casu quantumvis homines interemti fuerint, non tamen hoc factum est aliquo scelere, ideoque non constitit de corpore delicti.

LVI.

Si itaque homo quidam scelere interemtus inveniatur, sive occisus sit sclopeto, sive hasta, gladio, ense, pugione, cultro, novaculâ, sive fuste, saxo, malleo, conto & id genus alio instrumento, non satis est uti constet de delicto commisso, sed præterea, siquidem sententia condemnatoria proferri debeat, etiam de omnibus qualitatibus & circumstantijs homicidij constare debet, *th. 54.* & præcipuè an occisus ex percussione aut Vulnere inflicto obierit illudque lethale fuerit, vid. *l. 30. §. fin. ff.*

ad L.

ad L. Aquil. Const. Crim. Carol. V. art. 147. & ibi Matth. Stephan. Etenim, si vulnus non sit lethale, vulneratus tamen, vel ob defectum curæ vel ob alia symptomata accedentia moriatur, quantumvis hæc ex percussione & vulneratione oriantur, efficiunt tamen hoc ut judex ordinariam homicidij pœnam irrogare non possit, Magnif. Dn. Præs. *all. loc. n. 9. in fin.* Vulnerans enim ibi non est causa per se & propria occisionis, vid. Carpzov. *pr. crim. p. 1. q. 26.* Anton. Matth. *d. crimin. ad l. 48. Dig. tit. 5. c. 3. n. 171.*

LVII.

Vulnus verò lethalitatis titulum meretur, si vel ut plurimum: vel simpliciter & absolutè mortem toti corpori inferre soleat, vid. Dn. Gothofr. Welsch *in judicio rationali lethal. vulner.* ubi *cap. 2.* Vulnus lethale sequenti modo describit, Vulnus lethale est Unitatis in parte humani Corporis vel Nobili, vel ad Vitam tamen simpliciter necessariâ, â re externa, violenter solvente continuum, inducta, & vel cum discrimine, vel ipsâ vitæ jacturâ, conjuncta solutio.

LIIX.

Nobiles partes Corporis Medici vocant Cerebrum, Cor & Epar. Partes ad Vitam simpliciter necessariæ ipsis sunt Pulmones, Aspera Arteria, Diaphragma, Gula, Ventriculus, Intestina, Mesenterium, Renes & Vesica, Dn. Welsch *cit. loc.* §. *unde si cerebrum &* §. *dicitur ergo.*

LIX.

Apparet inde, multa requiri ad hoc uti rectè de Corpore delicti constet, de quibus tamen judex ipse judicium ferre non possit cum suæ non sit professionis.

Consilia

Consilia itaq; Medicorum & aliena principia assumenda, quæ propria fiunt JCtis per applicationem. Laudanda proinde est practica Doctorum qui suadent, ut judex ipse vadat, aut ad minimum mittat scabinos vel assessores unâ cum Medicis ad inspiciendum cadaver, Clar. §. *fin. q.4. n.4.* Tranq. Ambrosin. *process. inform. lib. 1. c. 1. n. 18. & seqq.* Farin. *q. 2. n. 4. & 5.* ubi vult, ut judex si cadaver sit sepultum illud effodi faciat, add. Carpzov. *pr. crim. p. 1. q. 26.*

LX.

Imò ocularis hæc Corporis delicti inspectio in casu ubi fieri potest, expresè requiritur in P. H. O. *art. 149.* ibi: Es sol der Richter sambt zweyen Schöppen / dem Gerichts-Schreiber / und einem oder mehr Wundt-Artzten / so man die haben kan und solches geschehen kan / die dann zuvor beeydiget werden sollen / denselbigen todten Cörper vor dem Begräbnüß mit fleiß besichtigen / und alle seine empfangene Wunden / Schläge / Auffwürffe / wie der jedes befunden und ermessen würde / mit fleiß mercken und verzeichnen lassen. Et hæc obtinent etiam si veneno quis sit interemtus, Dn. Brunnem. *de Inquisit. c. 7. n. 15. 22. & seqq.*

LXI.

Neque de Parricidio aliud dicendum est, quod & hoc facti sit permanentis. Ideoque & hic existentia delicti certa esse debet ex cadaveris inspectione. Adeò ut si reus confessus, locum in quem cadaver projecit indicare nolit vel dubiè respondeat, sub tormentis sit interrogandus. Nec mutat, quod ante torturam de delicto constare debere supradiximus. Hoc enim verum est quando adhuc in quæstione est, an ille delictum commiserit. Secus est si id confessus de circumstantijs scire

nolit.

nolit. Quo casu judex licitè vel torturam vel territionem saltim decernet, habitâ circumstantiarum ratione, propter malam præsumtionem quæ contra reum ex confessione orta est. Addatur Carpzov. *pr. crim. p. 1. quæst. 16.* ubi *num. 12.* subjicit, in parricidio constare de corpore delicti, modo cadaver hominis occisi oculis subjiciatur, licet vulnus, cicatrix aliudve signum in eo non appareat, ex quo elucescat impias ipsi manus illatas fuisse. Interim multò certior redditur judex, si etiam de ictu aut vulnere lethali appareat. Sufficit quoque hic unus testis, si jurato dixerit se cadaver occisi hominis vidisse, modo aliud adminiculum reperti sanguinis & rei confessio concurrant, *arg. l. maritus 20. ff. d. quæstion.*

LXII.

Accidit aliquando ut reus confiteatur se cadaver hominis occisi projecisse in mare, in flumen vicinum &c. Ubi si reperiri non possit quæri solet, num ordinaria parricidij pœna locum habeat. Et videtur id omninò negandum, quòd ob non existentiam delicti extra ordinem de eo statuendum sit, juxta Bald. *in add. ad Specul. tit. de sent. col. pen. vers. Titius.* Verùm confessionem rei vallatam urgentissimis indicijs pœnæ ordinariæ dictitandæ sufficere censemus (1) quia parricidium occultè fieri solet difficilimæque est probationis (2) conjecturæ prædictæ semiplenam faciunt probationem (accedente confessione probatio plena est, Mascard. *de probat. l. 1. q. 13. n. 4. junct.* Farin. *lib. 1. q. 2. n. 12.* (3) colligitur hoc ex *art. 60.* Nemesis Carolinæ, quæ explorationem talem admittit quæ possibilis sit. Vid. Clar. §. *fin. q. 55. n. 11. circ. fin.*

E LXIII. Cæ-

LXIII.

Cæterum si præter confessionem probabilia & verisimilia indicia adsint ex quibus judex conjicere possit parricidium fuisse commissum, tutius pœna L. Corneliæ, gladij scilicet, dictabitur. Si autem præter confessionem nulla prorsus indicia occurrant, vel leviuscula adsint, tutius erit imponere parricidæ pœnam arbitrariam fustigationis vel perpetuæ relegationis, jung. Hartm. Pistor. *obs. 33. & 34.*

LXIV.

Homicidij species quoque est Latrocinium, eo tamen multo gravius, *auth. sed novo jure C. d. serv. fugitiv.* Jodoc. Damhoud. *prax. rer. crim. cap. 86. in pr.* Latrocinium enim est homicidium cum spolio commissum. Unde constat quomodo à Rapina differat; Raptores enim sunt illi qui homines spoliant quidem sed non interficiunt, cum latrones spolijs non contenti eosdem occidant, *vid. l. 28. §. 15. ff. d. pœn. l. 4. C. ad L. Corn. d. Sicar. c. cum homo 23. q. 5.* Germanis vocantur Mörder. Horrendum sanè est crimen, ideò horrendum & durissimum supplicium rotæ in ejusmodi delinquentes *Const. Carol. art. 130. & 137.* est sancitum.

LXV.

Non minus autem in hoc quam in præcedentibus existentia delicti certa esse debet cum singulis circumstantijs, quod hæ modo aggravent, modo etiam mitigent pœnam, *all. art. 137.* Et quamvis nemo facilè credatur crimen fateri cujus non sit Reus, Hippolyt. de Marsilijs *prax. rer. crim. §. postquam. n. 5. & 6.*; Non tamen propter solam confessionem illicò quis hâc immani pœna est afficiendus, nisi præterea de delicto commisso certò constet, Carpzov. *pr. crim. p. 3. q. 108. n. 25.*

LXVI. Si

LXVI.

Si itaque judex de delicto commisso certior factus sit, vel ex inspectione oculari, si fieri possit, *vid. th. prac. 60.*; vel per duos aut tres legitimos testes, *arg. art. 66. & 67. Const. Carol.* statim quoque in circumstantias inquirat, *th. prac. 54.* Etenim, si personas in illustri dignitate constitutas, vel sanguine conjunctas, vel etiam proprium dominum occiderit Latro, augetur pœna, & præterea, quod supplicium rotæ patitur etiam candenti ferro lacerari debet, *d. art. 137.* quod obtinet quoque si idem crimen aliquoties reiteraverit, *arg. l. fin. §. 3. C. de modo mulct. quæ à judic. inst.* aut aliud æquè grave commiserit, Carpzov. *pr. crim. p. 1. q. 23. n. 12.* secus est si latrocinio levius aliquod perpetraverit crimen, Carpz. *all. loc. n. 47.*

LXVII.

Perinde verò ut circumstantiæ delictum gravant, & per consequens etiam pœnam, sic eædem illud mitigant & minuunt. Nam, si latro illum quem rebus suis spoliat tantum vulnerat, non pœna rotæ sed gladij ipsi irrogatur; uti etiam illo in casu quando quis aliquem ideo interficit quod resistat quo minus res furtivas auferre possit, Carpzov. *all. loc. q. 22. n. 51. add. th. 63.* Et hæc ita obtinent, si de delicto liquido constet: Sin verò judex non potuerit explorare & perquirere homicidium, parricidium, latrocinium & simile permanentis facti delictum in loco per reum assignato revera esse factum, tunc ordinariæ pœnæ sententiam in reum proferre non potest, *vid. th. praced. 62.*

LXIIX.

De Furto quæstio moveri solet, anne scilicet sit facti

permanentis, an verò transeuntis. Nos secuti Mascardum *de prob. concl. 830. n. 7.* ponimus, furtum certo respectu potest dici modo permanentis, modo etiam facti transeuntis: Etenim si illud cum effractione aliqua, ostij forsan, vel capsæ aut alterius cujusdam rei factum sit, aut furtum sit manifestum, ad permanentis facti delicta referri potest, cum hoc casu vestigia post se relinquat, fractum scilicet ostium & capsam. Si verò cum ejusmodi fractura non sit commissum, non videmus quomodo inter delicta facti permanentis referri queat.

LXIX.

Quod enim capsa sit vacua, non statim est indicium rem esse furto sublatam: nondum enim constat an in capsa fuerit pecunia nec ne, vel si in eadem aliquando pecunia recondita fuerit, potest tamen esse quod eo tempore quo furtum aliquod commissum esse dicatur jam tum vacua fuerit: In facti permanentis delictis autem non dubitatur magis an res aliqua exstiterit nec ne, si enim homo mortuus inveniatur, statim constat eum antea fuisse in vivis. Tum quoque quod judex in furtum & rem furtivam inquirere debeat, non efficit hoc, ut inter facta permanentia referatur, eo enim modo omnia delicta carnis essent talia quæ permanentis facti dicuntur, cum & in ijsdem in veritatem facti investigetur; illa autem ferè omnia facti transeuntis esse nemo negaverit.

LXX.

Ex hisce constare potest, quod ad hoc ut in furto pœna ordinaria locum habeat, etiam scire debeat judex an illud ipsum factum sit cum fractura, an sine illa. Hoc enim casu rei confessioni si accedat jurata domini

deposi-

depositio rem esse furto ablatam, fur ordinariâ pœnâ affligi poterit, vid. Farn. *lib. 1. tit. 1. q. 2. n. 15.* Clar. *pr crim. §. fin. q. 55. n. 11.* Carpzov. *pr. crim. q. 81. n. 17.* Illo autem casu insuper requiritur uti constet revera factam esse fracturam.

LXXI.

Deinde etiam necessum est ut accuratè judex distinguat, an furtum sit simplex, an parvum, magnum, primum, secundum, tertium; an certum sit, quis nam illud commiserit, quid sit quod furto dicitur ablatum, idque secundum Const. Crim. Carol. V. *157. 158. 159. & seqq. quibusdam articulis*. add. Matth. Steph. ibid. & imprimis Magnif. Dn. Præs. *in observ. ad VVesenb. tit d. furt. n. 15. ad verb. non etiam in furtis &c.* ubi hæc omnia per quam eleganter tractat, Bocer. *class. 4. disp. 1. num. 89. & seqq.* Ludov. Gilhaus. *arbor. judic. crim. cap. 2. tit 27. num. 20. & seqq.*

LXXII.

Sed, quid in delictis carnis statuere oporteat, non satis liquet: Abditè enim & occultè ejusmodi delicta fieri solent, adeoque an facta sint nec ne, verè vix explorari potest, cum difficilis admodum sint probationis testantibus. Farin. *de delict. carnis q. 136. cap. 1. num 4.* Menoch. *de arbitr. jud. quæst. cent. 2. cas. 116. n. 11.* Laur. Kirchhof. *com. opin. cent. 1. concl. 5. vers. adulterium*, Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 57. n. 3. & seq.* Bocer. *class. 4. disp. 12. num. 22.*

LXXIII.

Res tota maximè consistere videtur in decisione controversæ illius & quæ multa præclara exercuit ingenia, quæstione: An nimirum in delictis carnis requiratur

ratur utriusque partis delinquentis confessio ad hoc ut condemnationi locus sit, an verò unius confessio sufficiat. Ad quam quæstionem breviter respondemus. Aut delictum est tale ex quo mortis pœna veniat infligenda, aut quod tantum importet relegationem vel ejusmodi leviorem aliquam pœnam. Si mortis pœnam inferat, non sufficit unius partis confessio sed utriusque omninò requiritur.

LXXIV.

Cum enim ex sola confessione nemo puniri possit nisi etiam præterea constet delictum esse commissum, *l. 1. §. 17. ff d. quæst.* de delictis autem carnis plenè & apertè constare nequeat, cum sint facti transeuntis, ideò utriusque partis confessio ad repræsentationem corporis delicti sufficit ad pœnam mortis irrogandam. Et hæc sententia hodie in praxi observatur.

LXXV.

Neque verò eam infringit *l. 17. §. fin. ff. ad L. Iul. de adult.* quæ dicit, quod mulier sine præscriptione de adulterio accusari possit, quamvis adulter diem suum obierit antequam condemnetur, vel cum eo agi ceperit. Utut enim concesserimus de jure Digestorum sufficere quandoque confessionem unius ad condemnationem, propterea quod illo jure delictum hoc carnis adulterium scil. pœna mortis non coërcebatur: Nihil tamen aliud inde probatur quam confessionem Rei in crimine adulterij sufficere ad infligendam pœnam relegationis, etiamsi alterius partis confessio non concurrat, quod nobis non est dubium.

LXXVI.

Si verò delictum est tale, quod mortis pœnam non inferat

inferat, tunc unius confeſſio concurrentibus legitimis indicijs ſufficiens eſſe poteſt ad irrogandam pœnam. Etenim, ſi ex ſolis indicijs & præſumtionibus quis pœna extraordinaria affici poteſt, uti patet *ex c. literis 12. X. de præſumt.* add. Maſcard. *de probat. vol. 3. concl. 1220. num. 10.* Menoch. *de præſumt. lib. 1. q. 94. & 97.* Franc. Brun. *de indic. & tort. part. 1. q. 4. num. 15.* Clar. *pr. crim. §. fin. q. 20. num. 5.* Magnif. Dn. Præſ. *in obſ. ad VVeſenb. tit. ad L. Jul. de adult. n. 18. ad verba alioquin*, non videmus cur dubitari poſſit quo minus in hiſce delictis quæ relegationem vel aliam leviorem pœnam merentur, non ſit locus condemnationi quantumvis de facto ex unius confeſſione & alijs quibuſdam indicijs conſtet. Hæc jam de delictis dixiſſe ſufficiat, cum, quid in alijs obtineat ex hiſce conſtare poſſit. Paucis tantum addimus effectus quos cognitio corporis delicti in ſingulis actibus judicis producat.

LXXVII.

Cognitio corporis delicti quem habeat effectum in inquiſitione, ex iſtis quæ ſuperius *th. 28. & ſeqq.* dicta ſunt, perſpici poteſt: Quemadmodum enim judex ſine præexiſtentia ipſius delicti inquiſitionem formare non poteſt, ſic etiam ſi veritatem de delicto commiſſo eſt conſequutus, neceſſariò inquirere & ſuper ipſo delicto procedere debet, vid. Clar. *q. 4. n. 2.* Unde Baldus *in l. mancipia 5. n. 1. C. de ſerv. fugitiv.* dicit, ſe vidiſſe condemnari quendam judicem, qui portaverat ad Cameram accuſationem ſibi delatam ſuper quâ procedere noluerat. Neque etiam effectu caret cognitio hæc corporis delicti quoad incarcerationem, hæc enim ſi fiat ſine præexiſtentia facti, injuſtè perficitur, & facit, quod

ſic

ſic indebitè incarceratus judicem injuriarum conveni-re poſſit, *l.32.ff.d.injur.& ibi Gothofr. Hippol. de Marſil. pr. crim. §. conſtante num. 4. Dn. Manzius ad conſtit. Carol. art. 6. num. 22.* ſi tamen appareat, incarcerationem ab ipſo factam eſſe animo injuriandi, *arg. l.5. C. de injur. l.1. §.1. l.3. §.pen. & ult. ff. eod.* aliàs enim arbitrariè punitur, Farin. *de Carcer. & carcerat. q. 27. n.141.*

LXXIIX.

Cum in tortura agatur de irreparabili præjudicio, & multi, qui haſce anguſtias ſuſtinere coguntur potius mori quam vivere malint, *Nov. 134. c.13.* ideo etiam judex præſumitur in dolo conſtitutus ſi abſque præcognitione corporis delicti quem torturæ ſubjiciat; & hodie ex injuſta tortura judex ex ſyndicatu tenetur ad damnum, injuriam, expenſas & ad intereſſe, idque ſecundum *Conſtit. Carol. art. 20. in fin.* quam malè quidam advocati & judices, Clari ſaltim ſententiæ inſiſtentes, negligunt. Creſcunt & augentur hæ pœnæ in tantum, ut nonnunquam mortis pœnam luere debeat judex, ſi fortè injuſte quem ad mortem condemnaverit. Ex hiſce ergo apparet quem effectum cognitio Corporis delicti producat: Etenim ſi judex prius delicti veritatem ſibi acquiſiverit, pœnam effugere poteſt. Et hæc nunc hâc vice ſufficiant de Corpore delicti, Deo ſit laus & gloria.

Corol-

Corollaria.

I.

Universitas, Provincia, Urbs, Populus, Collegium, Municipium, non tantum ex contractu obligantur sed etiam ex delicto.

II.

Si ex crimine famoso ad tempus quis damnatus fuerit, transacto tempore non durat infamia.

III.

Ex lege Julia pœna de adulteriis non fuit capitalis.

IV.

Cum sponsa alterius committitur adulterium, sive sponsalia de præsenti cum ea fuerint contracta, sive de futuro.

V.

Polygamus, qui duas eodem tempore uxores ducit, adulter est.

F VI. Quæ

VI.

Quæ pœna fuit constituta adulteris jure Cæsareo seu civili, illa etiam ejus pœna est jure Carolino.

VII.

Constitutioni Arcadij & Honorij *in l. quisquis 5. C. ad L. Jul. Maj.* subjiciuntur filij tam antequam post commissum crimen perduellionis nati.

Ad Eruditissimum

DN. IOHANNEM Barckhusen

DE

CORPORE DELICTI

publicè disputantem,

AMICVM SVVM EXOPTATISSIMVM.




Orpus delicti perquirat ut ordine Iudex
Legitimo, exposcunt sacratissima sanctio legum,
Et Caroli Quinti, nec non monumenta priorum
Induperatorum, ne falsa relatio verum
Subvertat, miseros nec tristi quæstio fallax
Vrgeat insontes luctu pereantq́ tremendo,

Iudi-

Iudicis injusti, tristissima quæq; sequantur;
Quæ revocare nefas, quæ retractanda nefando
Ausu difficile est, quin Iudex sanguine tinctus
Insontis, magis est laqueo perdatur acerbo
Quo patravit idem, quod & alma sacraria legum
Constituere simul: Sane si causa prophana
Efflagitat factum, nam ex facto jura resultant,
Quanto plus facti facta ardua jure requirunt
In queis delicti corpus consistit, & inde
Corporis exoritur jus, jura silescere fas est,
Facta ubi deficiunt, hinc inquisitio falsa
Quam non examen præcedit in ordine, certum
Corpus delicti, quâ in causâ sæpius errat
Iudex imprudens quo nil crudelius unquam.
Quare Magnificus Vir Præses laude coruscat
Æternâ, qui te modo Respondente resolvit
Materiam Iuris, quò erranti limine primò
Hæc via monstratur liquidò, ne indagine missâ,
Quodnam delicti corpus? nec cætera desint,
Scilicet, ut recto procedant ordine causæ,
Hæc dum rite doces, labor hic tibi proderit olim
Et te non vili celebrabit nomine fama.

Benevolentiæ testandæ
ergò
Hannoverâ misit
Iacobus Andreas Crusius. D.



F I N I S.